Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Statuit ei dominus testamentum pacis et principem fecit eum ut sit illi sacerdotium sempiternum. ℣. Misericordias domini in eternum cantabo. Oratio. Deus qui apostolo tuo petro collatis clavibus regni celestis hanc dignitatem solvendi pontificium tradidisti concede ut intercessionis eius auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Per dominum. Lectio beati petri apostoli. Petrus apostolus iesu christi electis advenis dispersionis pontus galatie cappadocie asie et bitynie secundum prescientiam dei patris in sanctificationem spiritus in obedientiam et aspersionem sanguinis iesu christi gratia vobis et pax multiplicetur. Benedictus deus et pater domini nostri iesu christi qui secundum magnam suam misericordiam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem iesu christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcessibilem conservatam in celis in vobis qui in virtute dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo in quo exultabitis modicum nunc si oportet contristati in variis tribulationibus ut probatio fidei vestre multo preciosior sit auro quod per ignem probatur inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione iesu christi domini nostri. Gr. Exaltent eum in ecclesia plebis et in cathedra seniorum laudent eum. ℣. Confitebuntur domino misericordie eius et mirabilia eius filiis hominum.

Tractus. Beatus vir qui timet dominum in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria et divitie in domo eius et iustitia eius manet in seculum seculi. Quando autem

Venit ihesus in partes cesarie. Offertorium. Veritas mea et misericordia mea cum ipso et in nomine meo exaltabitur cornu eius. Secreta. Ecclesie tue quesumus domine preces et hostias beati petri apostoli commendet oratio ut quod illius festa celebramus nobis proficiat ad veniam. Prefatio. Te domine supplicantes. Communio